

Legit, quæ de Abbacia Schawnik habentur pag. 12 Libræ  
Muller sub titulo „Notitia Sacerdotii Historiam Societatis  
Jesu in Hung. concernentis“

Vide etiam Klein Nachrichten von dem Lebensum-  
ständen und Schriften evangelischer Prediger  
16. Febr. pag. 165. in nota ad Annum 1541

Quod felix faustumque  
Deuster-Opt. ter-Max. esse jubeat!

SOLENNITAS  
INAUGVRATIONIS  
TEMPLI

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

five  
SACELLI,

Quod  
ILLUSTRIS, SPECTABILIS & MAGNIFI-  
CUS DOMINUS

DN. SIGISMVNDVS  
TOEKOELY

L. B. de Kesmark

Hæreditarius Dominus Arciū Kesmark & Schav-  
nik, S. C. R. qve Mattis Consiliarius, ac Tab. Judiciaræ Sup. Regni  
Hungariæ BARO, &c.

Dominus ac Patronus meus gratiosissimus.

In Castro suo Hæreditario Schavnik Tractu Comitatus Scepusiensis Superiore  
noviter, eleganter sumtuoseque extruxit, idemque SACROSANCTAE & IN-  
DIVIDUAE TRINITATI religiose consecravit,  
devotè instituta & decenter peracta,

DOM. XXIII. TRIN. quæ erat 24 Nov. A. O. R. 1670.

In maxima & memorabili Virorum Ecclesiasticorum, Politicorum, & omnis Ordinis  
Hominum frequentia historice descripta, à  
M. Daniele Klefchio N. H. P. L. Cæsareo, Eccl. Olassiensis Pastore,  
Ven. Contub. XXIV, Regalium Oratore ordinario, hæc. Seniore  
& præsentis Actus Inauguratore.

BARTHÆ, Typis Civit. An. 1670.



PRÆFAMEN

PRÆFAMEN

AD

Præillustrem, Spectabilem atque Magnificum  
Dominum,

Dn. SIGISMUNDUM THOEKOELY

L. B. de Kesmark, Hæreditarium Dn. Arcium Kes-  
mark & Schavnik, S. C. Rqve Mattis Consiliarium & Tab. Judiciali-  
ariæ Sup. Regni Hungariæ Baronem &c. Dominum ac Patronum  
meum gratiosissimum.

ILLUSTRIS BARO, DOMINE GRATIO-

SIS-SIME,

**S**isto hic Templi dedicati, & totius Actûs Inau-  
guralis Historiam atque Apologiam, Operis ipsius & Fun-  
datoris Encomium paucis adjeci. Reliqua non licuit. Majores  
Tux Magnificentix, si quis nosse vult, Annales consulat. Do-  
minum *Sebastianum Tækælium* Avum Jaurini Expugnatio fecit Illu-  
strem, cum idem, Duce Schvarzenburgico, Palfianis cohorti-  
bus præcedentibus, Turmas reliquas disponens, dextrum cape-  
ret Propugnaculum, & sic Armis atque Laude Militiæ, inclare-  
scret. Spectabilis quondam Dn. Parentis Dn. *Stephani Tækælij*  
L. B. de Kesmark Virtutes, hominum suggerit memoria, & cum  
eisdem exiguis non capere potuerit Orbis Scopusiacus, in vastissi-  
mas Gallix, Angliæ & Belgiæ oras, nec non celeberrimas Impe-  
rij Romani Academias, Argentinensem nim. Tubingensem &  
Heidelbergensem se diffuderunt. Magnum sanè Patriæ Civem  
se præ-

se præstitit uterque; hic peregrinando, ille militando. His admis-  
sionibus externis Patria & defenditur & ornatur. Tua, BARO  
ILLUSTRIS, Pietas internum Regni Subsidium est; Castra mu-  
nis precibus & Templorum Structuris, cultus divini ornamentis,  
Religione, Devotione.

*Semper Honor, Nomenq, Tuum Laudesq, manebunt.*

Nam Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas; præter amare DEUM,  
& illi soli confidere! HOC UNUM EST NECESSARIUM Ita, Christo di-  
ctante, cense, & Scriptiunculam hanc contra omnes lividos Zoi-  
lorum morsus, TUÆ MAGNIFICENTIÆ Patrocinio com-  
mendat

ILLUSTRUM TUARUM VIRTUTUM

SPECTABILIS & HEROICÆ PIETATIS

Cultor & Admirator devotissimus

M. Daniel Klesch, N. H. P. L. Cass

Eccl. Olas. Plebanus.

Dab. Olasio  
in Museo  
die xvii, Decembr.  
Anno decrepito 1669.

A 2

I. N. J.

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

I. N. J.

## ACTUS PRÆPARATORIA.

Ad hanc Solemnitatem Dedicatoriam

Prædictus & nunquam sine honore mihi nomi-  
nandus

ILLUSTRIS &amp; SPECTABILIS HEROS

ac Dominus

Dn. SIGISMUNDUS THOEKOELY, L. B.

De Kesmark &c. Dominus ac Patronus noster  
gratiosus.

Pastores ex hoc Tractu Scepusiensi Duodecim numero, om-  
ne planè fausto ac Sacro, & inter hos TRES SENIORES, Regalis,  
Montanæ & Tertiæ Fraternitatum gratiosè invitavit, scriptis & ma-  
nu propriâ subscriptis ad omnes & singulos Literis, quarum Paria  
ad me directâ, sic sonant:

*Admodum Reverende & Clarissime Domine Senior mihi  
observandissime.*

**FINIS** Creationis & Vitæ meæ Scopus cum sit unicus, DE I  
Gloria; eum ab ineunte Juventute mea cordi infixum habeo. Quem  
montanum interno verum etiam externo opere promovere volens, Aedes  
Sacras hic in Castro meo Chavnik edificari curavi. His cum nihil amplius  
restet, quam ut Veneranda Sacro Sanctæ Trinitati dedicentur & commen-  
dentur, Vr. Clariss. Dominat. amicè rogo, quatenus die 23 præsen. Men.  
Novembr. huc in Castrum meum Chavnik comparere, comparando mutua  
vota consilia, suffragia & preces pro sacrandis præactis adibus fundere, se-  
quentiq; die præsentia suâ eandem Solemnitatem exornare & Dedicacionem  
adornare non dedignetur. Quam officiositatem in me præstandam servitiis  
meis regravificari omnimodè annitar. In reliquo eandem pl. R. & Clar.  
Dominationem Vestr. diu feliciter valere desidero. Dat. in Castro Chav-  
nik d. 14. Nov. Anno 1669. Adm. Rev. & Clariss. Dom. Vestræ,  
servire paratiss. Sigismundus Thököly Mp. *Inscri-*

*Inscriptio Literarum.*

*Admod. Reverendo & Clarissimo Viro, Domino M. Daniell  
Kleschio, Ven. Contub. XXIV. Regalium Seniori, & Eccl. Olasiev.  
Pastori Primario &c. mihi observandiss.*

Seqvuntur meæ ad has Invitatorias

Responsoræ extemp.

*Præillustri, Spectabili & Magnifice Domine,**Domine ac Patrone mihi gratiosissime.*

*Salutis omnigenæ & cælestis Benedictionis votopremisso; pre-  
cum mearum devotissimarum, & servitiorum humillimorū  
paratissimam commendationem animo submississimo defero,*

ILLUSTRIS BARO, DOMINE MAGNIFICE,

**V**Ti ex intimis animi mei optatis accidisse exi-  
stimo, & propterea me felicem de prædico, acceptis hodie  
Illustr. Vestræ Magnif. Literis, usq; tam gratiosis & ad Actum  
Sacrum atq; Solemnem Invitatoris; Ita vel maxime pudore suf-  
fundor, quod pietatis officio & mutuò in Notitiam deveniendi  
Studio atq; Desiderio, à Spectabili Vr. Magnificencia superatus  
præventusq; fuerim. Quoties enim hætenus pl. R. Dominum  
J. Fontanum Eccl. Evangelicæ in Oppido Cromptach, Ditionis  
ac Possessionis Tuæ Illustr. Magnificentiæ, Pastorem & n. c. Frater-  
nitatis Vallæ Montanæ Seniore, Commilitonem olim meum  
& Amicum veteranum, nunc Vicinum ac Fratrem in Christo con-  
fidentissimum, sollicitavi enixè, ut se mihi ad jungeret itineris Co-  
mitem, mecumq; Illustr. Vestræ Magnificentiæ inviseret, & sic mihi  
aditum ad Eandem Vestram Spectabilitatem faceret; verum con-  
tund ab utraq; parte inciderunt præpedimenta, ut Desiderio hu-  
ic meo satisfieri haur potuerit. Gratulor verò mihi ex animo &  
impens.

Impensè quidem, quod conceptâ meam, eamque tam prolixam, Expectationem explendi tam sacra, tam læta, tam felix, tamque devota sese offerat occasio. Jam spero, **MAGNIFICE DOMINE**, me Bonò cum **DEO**, **ILLUSTREM Tuam**, tamque diu à me desideratam spectaturum Facièm, **GRATIOSO Tuò** fruiturum alloquio, & **SPECTABILEM MAGNIFICENTIAE Tuæ** contuiturum Vultum. Quidpè hæc omnia felici gerantur omine: Dùm enim Tuæ, **ILLUSTRIS BARO**, mihi adferrentur Literæ, incideram planè, ira dirigente divinæ Providentiæ Nutu, quæ omnes nostras Actiones, cum primis Sacras, dirigit sapienter atque moderatur, sollicitus de nova Methodo Concionandi circa terminum veteris Anni Ecclesiastici, subsæcivo Læctionis, meæ Studio in Locum illum solènem Act. VII. p. 47, 48, & seqv. sic sonantem: David invenit Gratiàm apud **DEUM** & petiit, ut conderet Tabernaculum **DEO JACOB**. Salomon autem ædificavit illi Domum. Sed non habitat excelsus in Templis manufactis, sicut per Prophetam dicit: Cœlum mihi Sedes est, Terra autem Scabellum pedum meorum. Quam Domum ædificabitis mihi, dicit **DOMINUS**? Aut quis Locus requietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia? Conf. Esa. LXVI. 1. It; Deut. IX. 13. Item in iisd. **ACT. APOST.** cap. XVII., 24.

Erant verò ad manus præter Xantis Pagnini & Bened. Ariæmontani **BIBLIA** Osiandri Latina, Lego in istis Marginalia; Non opus habet Dominus certâ aliquâ habitatione, sicut homines. Neque ita Templis affixus vel addictus est, ut cum hominibus impiis, impoenitentibus & idololâtris habitare cogatur. Hucusque Osiander.

Locum me communem & argumentum aptissimum invenisse rebar, interviturum meis meditationibus sacris, & instantis Novi Anni Ecclesiastici Methodo perpetuæ, sermonibusque publicis per totum Anni Cursum convenienti.

Inciderunt **B. LUTHERI** nostri verba, quæ sæpissimè ore trivisse dicebatur Vir entheus atque Zelosissimus, in hanc fermè sententiam: Paucissima olim in Primitiva Ecclesia, Primi Seculi erant Christianorum **ORATORIA**, sed plurimi, iique devotissimi **Precatores**: Postiora dein, eaque florentiora Secula cum nostro moderno

Ad Paul  
Diaconu  
& Tertul-  
lianu  
quos su-  
spirant in  
Apoc. Com-  
ment. cap.  
22.

terno plurima habuere **ORATORIA**; sed paucissimos, proh Doctor! **Precatores**.

Occurrerat simul Fervor Excellentissimi Theologi Acad. Rostochiensis Prof. P, & Superint. Dn. **D. HENR. MÜLLERI**, quem exprimit Catenâ Apostolicâ pag. m. 858, in Læctionibus ejusdem horarum subscivarum sub finem &c.

Ita profectò est: Deserbit serè hoc Seculo omnis Religio: Ardor, Pietas, Devotio; Charitas, Fides, prædicente Christo, Matth. XXIV, 12. & Paulo II. Tim. III, 5.

Ista dùm meditabar, **DOMINE MAGNIFICE**, exhibentur mihi Literæ Tuæ Gratosissimæ. Lego, relego easdem exosculorque, lætor in **DOMINO**, exulto & exclamò: Revixit! Revixit, inquam, Pietas! Respirat Ardor & Devotio in Illustri **BARONE** nostro, **SIGISMUNDO TOEKOELIO**, qui juxta Nominis Omè Germanum genuinumque, Vicit Mundum Fide 1. Jo. V. p. 4. Qui lætatur in his, quæ dicta sunt ipsi cum Davide Psal. CXXII, 1, tanquam verus, Evangelicus & Religiosus **ABBAS**. Qui me miserum minimumque **DEI** Servum Lætitia suæ participem reddit, & ad **SOLENNIA INAUGURATIONIS** Domus Domini à se munificentissimè in **CASTRO CHAVNIK** exstructæ tamgratosè inuitat. Adero **ILLUSTRIS BARO**, anticipato Dedicationis Die, Imperata **INAUGVRALIA**, **DEO** Propitiò facturus ad Desiderium & Nutum **SPECTABILIS MAGNIFICENTIAE TVAE**, quam unâ cum Conjuge **ILLUSTRI**, & universa **MAGNIFICA PROSAPIA**, Au-laque Spectabili, Sanctissimæ Nominis Divini Providentiæ devotissimè commendo perstoque

*Illustris & Spectabilis Tuæ Magnificentia*

*Servus in Domino*

*Cultorque devotissimus, et apud DEUM*

*Intercessor obligatissimus*

*M. Daniel Klefch Iglovien-*

*P. Laur. Cas. Eccl. Olasien.*

*Pastor. Ven. Contub. 24. Reg.*

*Orator Ord. & Senior.*

Olassio præproperè  
ἑντροπχέδ, d. XV. Nov.  
**LEOPOLDO** Sacra

Anno, quo

**DVX MICHAEL** Regis Signa gerit!

*Literarum Titulus & Inscriptio**Præillustri, Spectabili & Magnifico Domino**DOMINO SIGISMUNDO TOEKOELI, L. B.  
de Kesmark, Ejusdemque ac Castrî Charnik Domino  
Hereditario, Sacre Cas. R. q. Maj. Tabule Judicia-  
ria BARONI &c. Domino meo gratioso.*

**A**ccinximus itaque Nos, Ego & pl. Rever. Dominus  
JOH. FONTANVS Past. Crompt. & Sen. itineri. & ceu requi-  
siti eramus pro Consilio, die XXIII. Novembris in Castrum CHAV-  
NIK, tempestivè appulimus. Admissi & per Aulicos honorificè ad-  
vocati, præmissis humillimis nostris Salutationibus à Domino MA-  
GNIFICO gratiosè acceptâ, de ACTVS DEDICATORII DISPO-  
SITIONE ultrò citroque communicatis Sententiis maturè ac sobriè  
deliberavimus, ubi recensitis à me inaugurati olim TEMPLI RV-  
STENSIS ad LACVM FERTÔ propè SEMPRONIUM, piis ac de-  
votis Ceremoniis, & intentione Dom. MAGNIFICI perceptâ, in-  
eum tandem modum atque ordinem consensum est, ut devota omni-  
Superstitione gesticulari, & seculari Pompâ longàm abesse jussâ, o-  
mnia decenter, ordine, piè ac devotè, verbo: κατὰ τάξιν καὶ εὐοχου-  
μόως, ex præscripto Pauli 1. Cor. XIV. 40, instituerentur, Ad-  
movi itaque manum operi & Schema delineatum ILLUSTRIO DO-  
MINO BARONI exhibui, in qua Dispositione etiam Sua Spectab.  
MAGNIFICENTIA acquievit, & juxta eam postero die omnia ad-  
ornata fuere.

*Hactenus Preparatoria!**Jam**Jam sequitur Actus ipse INAUGURALIS.*

**D**IE itaque 24. Novembris, quæ erat DOMINICA  
XXIII, & ultima TRIN. postquam omnes & singuli utrius-  
que Status, Ecclesiastici videlicet & Politici, VIRI Summates è vi-  
cinitate invitati confluxissent, horâ VIII, matutinâ in Palatio Interio-  
ris Castrî conventum est, in quo antèhâc Conciones institutæ fue-  
rant. Ex hoc mutuis votis, gratulationibus & VALE breviter dicto  
progressi sumus hoc ORDINE:

1. Præibant Tubicines Sex Clangore dulcisono per gra-  
dus.
2. Hos insequabantur Musici Vocales Duodecim, cum Fi-  
dicinibus svavi Harmoniâ.
3. Istorum vestigia nos pressimus, DUODECIM VIRI  
ECCLESIASTICI, Albis indui, Trini & Trini una incedentes; ita  
ut TRES CONCIONATVRI primum tenerent Locum in Ordine.  
Ego cum duobus REGALIBVS, Fratre nim. CHRISTOPH. KLE-  
SCHIO dextrum & M. ANDR. GÜNTH, sinistrum latus occu-  
pantibus, ornato super Albam splendidiori ex viridi Holoferio, Au-  
ro intertextò indutus, Secundam TRIGAM constitui, & sic conse-  
quenter Duæ adhuc TRIGAE Pastorum Evangelicorum in Ditione  
ac POSSESSIONIBVS DOMINI MAGNIFICI officiis sacri Mini-  
sterii fungentium.

4. Cessante parumper Clangore Tubicinum, descendendo  
per gradus interioris Castrî, inchoavi Hymnum De S. S. TRINI-  
TATE, in Scholis nostris usitatum novissimumque, quem unâ me-  
cum omnes VIRI XII. REVERENDI, clarissimâ voce decanta-  
bant. Hymnus verò peculiari sua MELODIA sic sonat:

- |                           |                              |
|---------------------------|------------------------------|
| 1.                        | 2.                           |
| Sit Laus, Honor & GLORIA. | Honor quoque sit ejus FILIO, |
| DEO PATRI, qui lingua,    | JESU CHRISTO nostro Domi-    |
| Sua creavit Gratia;       | no,                          |
| Fovet, regitque condita.  | Qui morte acerbissimâ        |
|                           | Nos vexit ad coelestia.      |
|                           | B                            |
|                           | 3 Ho-                        |

3. Honor quoque sit Sancto PNEV- MATI  
 4. O veneranda Sancta TRINITAS

Nostro Sanctificatori,  
 Qui nos ad verum dirigat  
 Sensus nostros aperiat,  
 O adoranda Sancta UNITAS  
 Exaudi preces supplices  
 Et fac nos coeli compotes,

5. Nos Duodecim Viros Ecclesiasticos insecutus est Aulae  
 Praefectus, Generosus Dn. GEORGIUS Sz, Miklossy de Primoez,  
 et in hoc Processu officium MARESCHALLI gerens, ac pro more  
 & Autoritate Dominum suum praecedens.

6. Successit Illustris & MAGNIFICVS Dn. Dn. SIGIS-  
 MVNDVS TOEKOELY solus, & capite quidem aperto,

7. Dehinc Gen. Dn. JVDIX Nobilium ejusdem Processus  
 Dn. CASPAR KOESZEGY, & cum eo Spectatissimus Dn. JOH. OLO-  
 MUZERVS, XIII. Oppid. COMES. Hos comitabantur alii à vicinia  
 Nobiles, Viri Egregij Decem Lanceatorum. Dein Aulici Officia-  
 les, Provifores cum Nobilibus Servitoribus.

8. Mox praecedentibus duobus Aulae Magistris, Gen. Dn.  
 Casparo Györkey & Ladislao Czepeziny, Illustris Domicella. FILIA  
 BARONIS unica, SOPHIA TOEKOELIA cum Praeillustri Domi-  
 na Matre, Dn. SALOMEA POGRANY &c. universoque Nobilissi-  
 mo Gynaeceo.

9. In Exteriori Castro ad Portam operiebantur nos Subditis  
 Suae Magnificentiae denso agmine utriusque Sexus, ut & è vicinis locis  
 quam plurimi, nostrae & adversae Religionis homines.

10. Interim nos lento gradu progressi Hymnum cantando  
 singulis intersonante Strophis Tubarum Clangore ad Templum novi-  
 ter extructum perigimus, illudque decenter ingressi, coram Altari in  
 inferiori Sanctuarii gradu, in genua reverenter procidimus omnes &  
 singuli, cum Musicis in Choro adstantibus, voce Choralis, Veni San-  
 cte Spiritus &c. cecinimus, quo finito intonavi alta voce:

11. Domine tabia mea aperies. CHORUS: Et os meum &c.

12. DEUS in adjutorium meum intende: &c. Chorus: Domi-  
 ne ad adjuvandum me festina &c.

13. Mox

13. Mox CHORUS MUSICUS ad Organon figuravit: KYRIE,  
 CHRISTE, KYRIE ELEESON, suavissimo concertarum concen-  
 tu: quo finito, Ego reliquis ad utrumque latus Altaris adstantibus in-  
 tercinui: GLORIA IN EXCELSIS DEO: Continuavit Chorus  
 figurando: Et in Terra Pax &c.

14. Collectam accinuit Loci ordinarius Schavnikensis,

15. Epistolam Bechehemfalvensis &

16. Evangelium Cubachiensis decantarunt devotè, ultimus simul  
 inchoavit CREDO &c.

Hoc toto officio, vernaculo Loci idioma Religiosè & non su-  
 perstitiosè peractò,

17. Primus Concionator Pl. Rev. Dn. J. O. H. FONTANVS,  
 Past. Crompt. & Mont. Frat. Senior, conscendit Suggestum novum  
 & ex Textu Ioh. XVII, 11 Sancte PATER, conserva eos in No-  
 mine Tuo: Templum hoc noviter extructum, DEO PATRI  
 SANCTO, Primae Divinitatis Personae consecravit: Non Patribus,  
 sed PATRI, non SANCTIS, sed SANCTO, Esa. VI.  
 Concione finita, concerta suavissima decantata est.

18. Secundus Concionator pl. R. Dn. MARTINVS MACH-  
 NER S. Andraschensis Senior conscendit Cathedram & ex dicto  
 Exod, XVII, 15. & Templum & Altare consecravit DEO FILIO:  
 Hac finita concertatum fuit concentu Musico: VENI SANCTE  
 SPIRITUS, &c.

19. Tertius Concionator, Conf. Krawianensis, etiam ex Ditione  
 Illustris Domini, doctissimam de SPIRITU SANCTO habuit  
 Concionem, ejusdemque Numini Propitio SACELLVM hoc conse-  
 cravit devotissime. Ubi hoc probè notandum; Conciones istas tres  
 Slavico Idioma fuisse habitas; quamvis enim nonnulli Autores  
 & Svalores essent, ut prima Concio Germanicè; Secunda Hungari-  
 cè & Tertia Slavice institueretur. Regessit tamè Dn. MAGNIFICVS:  
 Germanicam Linguam, exceptis quibusdam Pastoribus & Dn. Ma-  
 gnifica, atque Domicella, à paucissimis intelligi; Hungaricam à se-  
 solo, Aulicis & Nobilibus; Slavicam verò ab omnibus Subditis  
 percipi, quorum hic potissimum haberi debere rationem, ut in Fide

B 2

acubi

De Transla-  
 tione Arca  
 fœderis Rex  
 David sal-  
 vando de-  
 nudabat pe-  
 dos II. Sam.  
 VI. 16.  
 I. Paral.  
 XVI, 29;  
 Noster  
 TARO ca-  
 put, gressu  
 decente ac  
 gravi obser-  
 vato.

Dispositi  
 Paterna  
 1. PIETATI  
 2. SANCTITATI  
 3. POTESTATI

edificentur, confirmentur, & Actus hujus memoria tenacissima ipsis relinqvatur, cum præter Slavicum nullum aliud calleant Idioma. Sed & plurimæ è vicinia Nobiles aderant Matronæ, quæ aliarum, exceptâ hæc Slavica sive Vandalicâ, Lingvarum prorsus sunt ignaræ.

20. Finitis his tribus Concionibus, Chorus Musicus, **TE DEUM LAUDAMUS.** &c cum Tubis & Tympanis, plenis buccis & buccinis decantavit. Sub hoc solenni Concertu Musico, **ILLVSTRIS** noster **BARO, Dn. SIGISMVNDVS TOEKOELIVS,** unâ cum **MAGNIFICA Dn. Conthorali & Filia DOMICELLA** unicè dilecta, totoque & Gynæceo & Satellitio Aulico Nobilissimo ad Offertorium **ALTARIS** accesserunt. Secuti sunt Nobiles **VIRI & MATRONÆ**: dehinc Subditi magno numero & affectu pro Rei memoria. Offertorium hoc mutuis nostris suffragiis cessit Tribus Concionatoribus,

21. Collectam ultimam coram Altari decantavit Rev-Dn. **MATTHIAS RIBOSSIUS,** Pastor Eccl. Slowienken. ex Ditione **Dn. MAGNIFICI,** additâ Benedictione solenni in nomine Sacro Sanctæ **TRINITATIS.**

22. Et sic: **ITE MISSA EST!**

Id est: Sensu Orthodoxo, veteris Eccl. Latine: **ITE, COMMVNITAS DIMISSA EST.**

Sacris ita devotè & religiosè peractis, cum in Palatio Majori exterioris Castrî, elegantissimis Picturis Urbium **IMP. ROMANI** figuris, item & Tapetibus speciosissimis atque preciosissimis exornato, convenissemus ante Prandium, Ego nomine Templi, huic Palatio contigui, factâ Prosopopœia, Echone ejusdem qs. repercussa & in Auribus nostris quodammodo resonante, **DOMINO MAGNIFICO** gratias egi Latina Oratione brevi, quod **ÆDES** has **SACRAS,** non Mortalibus aut demortuis; sed **DEO TRINUMI** Immortali dedicaverit: Quodque **ILLVSTRIS** Sua **DOMINATIO** ad hunc Actum Sacrum & Inauguralem perficiendum, non usa fuerit aliquo Suffraganeo Titulari; sed cum ipse sit **MAGNAS** verè Evangelicus, Religiosus ac Realis, meam Tenuitatem ad officium hoc Dedicacionis, cum reliquis Venerandis Dominis **SENIORIBVS & CONSENIORIBVS,** Parastatis hujus Actus Inauguralis, fidelissimis adhibuerit. Addu-

ctis certis

Et certis atque immotis fundamentis, quod **REGALIS** hæc nostra **FRATERNITAS** cæteris paribus in hoc Scepulo, quin & cum aliis Evangelicis Consistoriis, tum ex communi Regni Libertate, tum vel maximè peculiari Privilegio & vigore expressi Diplomatis Regii & Palatinalis Jus habeat & Potestatem eligendi \* **SUPERINTENDENTES,** Consistorialia tractandi, Causas Matrimoniales decidendi, Ordines instituendi & omnia Jura Episcopalia exercendi. Additis Antiquitatis Testimoniis & Praxi Ecclesiæ Primitivæ, in qua Præbyteris cum Episcopis pari in his talibus gaudebant Immunitate, Liqvet id etiam Iure divino. Apostolus Petrus (1) vocat sui temporis Presbyteros ἐπισκοπῶντας & semetipsum nuncupat Sympresbyterum. Theophylactus (2) Presbyteros Coëpiscopos appellavit: cum differit prolixè: Presbyteri omnino etiam Episcopi dicuntur & sunt; utpote, qui & ipsi Populum inspectarent, illiusque gererent curam, ut confirmarent illustrarentque eos, quos esset necesse. Sanè & Ius Canonicum, (3) non solum Episcopis, sed & Presbyteris concedit consecrandi, confirmandi & ordinandi potestatem his verbis: Quoniam **ABBATI** manuum impositio conceditur, dñm constat, illum esse **PRESBYTERUM.** Sed & **CLEMENTINA** (4) Presbyteros ceu Apostolos revereri jubent, tanquam in pari cum Apostolis dignatione constitutos. Plura in hanc Rem dicturo, Dapiferi in Palatio oberrantes, & discursitantes, quidam nutu, quidam Sirepitu Silentium imponere visi sunt. Finit itaque devoto ergâ Illustris. **Tökolianam** Familiam adfectu, & sincerâ divinæ Benedictionis appreciatione. Respondit plur. Reverend. Dn. **J. Fontanus** nomine **MAGNIFICI DOMINI,** satis discretè, plæraque membra mea promptè repetendo. & ad Prandium instanter atque decenter nos invitando. Consedimus itaque in Timore Domini, præmissis precibus antè mensam devotè, & cibum capientes jucundissimis nos colloquiis recreavimus. Præterea & Tabula oblonga, juxta Palatij Longitudinem sumtuosè ac Magnificè dapibus erat instructa: Pocula generosissimo vino impleta, quæ propinante **DOMINO MAGN.** libavimus pro Incolumitate Augustissimi Imp. nostri **LEOPOLDI I.** Dein Serenissimæ Imperatricis **MARGARITÆ.** Postmodum pro

B 3

Duum

Anni 1647  
Art. XV.

circa finem

\* Sciant

hoc Sceptico

& Sceptico

Privilegio

hoc Eligendi

Superintē-

dentes spe-

ciales & ex-

pressu cle-

mentissime

concessum

esse Frater-

nitatibus

in Scepulo

rūpatur ut

Ilia Momo!

(1) I. Pet. V.

ψ. 1, 2.

2) Theophyla

Commens.

in Cap. 1.

Epist. ad

Philippen.

(3) Jus Cæ.

Distinct.

69. Cap.

Qson.

Vid. CLE-

MENT.

f. Constit. S.

Apost. Epist

S. Ignat. ad

Trallian. p.

m. 424. H.

Edit. Colon.

1569.

Num. VI.  
24, 25, 26.

laudatiff.  
Rex Pol.  
Steph. Ba-  
thoreu di-  
cebat: DES  
UMfibi rria  
referasse:  
Aliquid ex  
nihil cre-  
are, Futura  
predicere  
Es Domi-  
nari cofes-  
antiis.  
Semper ali-  
qua impu-  
deni Nichol  
reperitur,  
qua Davi-  
dem Es sa-  
les Altus  
de Sotos de-  
vider. 11.  
Sam VI, 16  
item 1. Pat  
Pal, XVI, 29

Daumviris Locumtenentiae PALATINALIS, Reverendis. Dn. ARCHIEPISCOPO & Excellentis. Dn. JUDICE CURIAE: & sic consequenter; addita semper hac voti clausula: Ut sub umbone & Patrocinio Clementissimi nostri Regis LEOPOLDI I. liceat nobis Evangelicis, fidelibus Suae MAJESTATIS subditis, Vigore Articulorum Regni, Libertate Conscientiae & Religionis frui. Praetibus finitō Prandio sulis, & gratis actis, munifica MAGNIFICI DOMINI manu dimissi fuimus. VIVAT Illustris & Spectabilis BARO, Dn. Dn. SIGISM. TOEKOELI. VIVAT! TANTUM! DE TOTO HOC ACTU!

Hæc est illa succineta Inaugurationis Historia, quam delineavi breviter, vel saltem hoc fine, ut Religionis nostrae veræ atque salvificæ Oloribus constet; Ordinem etiam apud nos decentem ac verbo DEI conformem sanctè atque religiosè observari, nec omnia ( ; ceu quisdam calumniantur, ut exosam eam, aut saltem apud imperitos suspectam reddant: ) confuse inter nos agi atque tumultuariè. Scio habituros, & hic quosdam, quod sugillent, quasi non satis pompose i. e. histrionicè, mimicè ac thiatricè Actum hunc præsentaverimus. Sciant verò vicissim, boni illi viri, sive Adversarij sint, sive fidei domestici, neminem nobis hic præscripturum, aut fixurum Regulam in Ceremoniis Ecclesiasticis, adiphoris seu indifferentibus & in Libertate Christiana positis. Sufficit, si post DEUM Ter-Opt. Ter-Max. in cujus honorem Sacra hæc Solemnia suscepta sunt, Illustri nostro BARONI, Patrono gratiosis placeant, etiamsi Vobis omnibus displiceant Quid si Dominus MAGNIFICUS ipse pro Religiosa sua Pietate. Templum hoc à se extructum simul consecrasset exemplò ( : a : ) SALOMONIS Regum Sapientissimi, ( : b : ) JOSIAE pietis. & devotissimi, Itē ( : y : ) NEHEMIAE Zelosissimi; ecquis ipsi dicam jure scribere potuisset? Cum non tantū in suæ Conditionis Optimates, verū etiam nostri Ordinis Antistites Pietate ac Devotione antecellat. Adeste Prælati! Adeste Presbyteri, & in nostro devotissimo BARONE TOEKOELIO, Probritatem, Mansuetudinem, Humilitatem Modestiam, Graviratem, Morum & Animi Equitatem, vel itupescite. vel discite. Quas Virtutes Episcopo dignas, non tantū ( : d : ) Apostolus Paulus

( : a : )  
I. Reg. VIII  
29.  
( : b : )  
II. Reg.  
XXIII, 2.  
( : y : )  
Neh. II, 9.  
( : d : )  
I. Tim. III,  
2. 2.

Paulus summo opere commendat; ( : e : ) CLEMENTINA sui observantiores strictissimè obligant.

Adeste MAGNATES! Adeste NOBILES, cujuscunque Religionis, & ab Inclito Nostro HEROEDn. SIGISMUNDO TOEKOELIO discite REVERENTIAM erga DEI MINISTROS, CLEMENTIAM erga Subditos, à quibus ultra consuetas quas vocant; Datas, ne obulum quidem exigit, multò minùs more Aegyptiaco Tyrannorum Pharaonicorum, lateres ipsis duplicat: Admiramini in ipso & imitamini Misericordiam erga Pauperes, Munificentiam erga Literatos, & LENITATEM atque MODERAMEN erga Famulitium Aulicum, Officiales atque Servitores, quos nunquam duriore aliquo verbo, nedum conviciò lædit aut læcessit. Generosus Dominus Præfectus Aulæ, ut & cæteri Officiales, qui cum Sua Magnificentia ultra triginta plus minus Annos jam conversantur, bonâ nobis adfirmant fide & conscientiosè adseverant, quod in hoc suo Domino MAGNIFICO vix unquam vehementem & iracundum observarint affectum; nedum injuriosam execrationem ex ore ipsius audierint: Cùm hodiè plenis buccis & Nobiles & Ignobiles Hungaros audias plusquam Diabolicè & plerumque impunè blasphemantes: Beste utalatos, hitetlen, tekéletlen, ádkozon, LELEK K. F. órdogh adt. órd. Lelk. órd. terem. O JESU PIE, deprecor hos celeri manu, innocuâ tamen mente scriptos, ac abruptos Characteres! Vereor, si continuâsem, ne me Terra dehisceret:

Stat coma, mens horret, frigusq; perambulat artus.

Quorsum hæc? Dicent aliqui Sciolî: Fortè ut Gentem nostram Hungaricam prostituas? Absit! Quin potius, ut eos, qui boni sunt, in Bono confirmem: qui verò mali sunt, DEO adjuvante, emendem. Sumus enim Vigiles à DEO constituti, Ezech. III. Et qui inter Hungaros veri & probi sunt Christiani, tantum abest, ut mihi ob id succenseant, ut potius persuasissimum mihi omninò habeam me gratiam illorum atque favorem certò demeriturum. Ad hunc Fervorem non imprudentem sed maximè necessarium, me extimulat Exemplum & Zelus ARDENTII, qui super Evangelium F. TRIN. nomen & omen NICODEMI explicans, ita satur: NICODEMUM

( : e : )  
Constiti  
Apost. I. 17  
II. Cap.  
XXIX. p.  
227.  
Lit. C. Edit.  
Colo. 1569.  
Didicit  
BARO nos-  
ter  
Προσβυτε-  
ρος διπλης  
τιμης οξυ-  
σοφας. 1.  
Tim. V. 176  
Nō affectat  
Dominatū  
aut Imperiū  
in Ministros  
Ecclesiae

MS

amitemus

*Paſt. ille.*  
*Otho Fri-*  
*ſing Lib. I.*  
*cap. 31. de*  
*Reb Geſt.*  
*Frider. I.*  
*Imp. Caſp.*  
*Enſ. Rer.*  
*Hug. Lib. I.*  
*Alex Vagn.*  
*Rer. Pol.*  
*Tomo. II.*  
*Nic. Olaus*  
*in Attila*  
*M. Joh. de*  
*Turocz, in*  
*Chr. Hung.*  
*cap. 16.*  
*Mich. Ritiſ*  
*de Reb Hug*  
*Lib. I.*  
*Joſ. Lib. I.*  
*de Elog. Ar-*  
*zil. Rer.*  
*Sylv. ad Ep.*  
*Strigon.*  
*Bonfi. Rer.*  
*Hung. Lib.*  
*2. Dec. 4.*  
*(:1:) Vid.*  
*Isaacum A-*  
*brahamsidē,*  
*Baimoczē-*  
*ſem Prapof*  
*Et Episc.*  
*Panegyri.*  
*funebr. hab*  
*Leuſchoſſ.*  
*AO. 1617 (:2:) Vid CLM qſond. M ELIAE URSINI, Paſt. Iglov.*  
*Et Ven Cōt XXIV. Reg. SEN. Et c. Laudationes Funebres in*  
*CASSOVIAE impreſſ. Anno 1626. (:3:) Vid. Admer. Et memorab. Hiſt.*  
*M. Steph. Xlandri*

imitemur, Fratres, & conemur unusquisque vitium Populi sui vincere. Si **JUDÆUS** es, stude Judæis innatam incredulitatem extirpare. Si **GALLUS** es, stude Gallorum innatam Superbiam & Levitatem profligare. Si **ROMANUS** es, stude Romanorum Avaritiam contere: Si **PICTAVINUS** es, stude Pictavinorum Ingluviem atque Garrulitatem emendare. Sic nos, ceu veri **NICODEMI & SIGISMUNDI**, seu **SIGMANNI**, vincamus, prosternameamus, profligemus Hispanorum Crudelitatem, Itatorum Lasciviam, Germanorum Ebrietatem, Russorum perfidiam, & Hungarorum Gulum, Fastum & blasphemandi libidinem, &c.

Neque enim usque adeo efferata vestra est Natura, O mei Hungari, ut planè mansvescere non queat, aut cicurari. Quamquam nescius haud sim, & vos una mecum quid Scriptores veteres de Gentis vestrae origine, & Majorum immanitate atque truculentia, cum adhuc Gentiles essent, & primùm ex Juharia Scythiæ prodiissent, Historiarum Monumentis tradiderint; tunc enim plusquam Cimmericis Ethnicissimæ tenebris immerſi atque occæcati ab omni Timore & Notitia, **DEI** alienissimi erant, & ob feram Crudelitatem ipsis hodiernis Turcis Tartariſque deteriores, non Homines amplius, sed hominum Monstra dicebantur. At enim verò ubi Nomina suo Christo dedere, & Milenariò post Nativitatem Servatoris exactò, fide Christianâ imbuti, longè alij, quod de **SAUL** Rege I. Sam. X. 6. dicitur, & quidem mansuetiores facti sunt, Id quod Exempla converſorum Hung. **REGUM**, **STEPHANI** Apostolici, **S. LADISLAI**, piensissimi, **ANDREAE II. GEYSÆ**, **BELAE**, **EMERICI**, **LUDOVICI**, laudatissimi **MATTHIAE. I.** luculenter comprobant.

Sed quid opus, vetustiora operose conquirere documenta? Prostant hodiernè viva in nostratibus Virtutum Exemplaria. Ue enim taceam Patrum nostrorum memoriâ **THURZONES (:1:) GEORGIUM**, (:2:) **STANISLAUM**, Palatinos Regni Hungariae nunc quam satis laudatos (:3:) **CHRISTOPHORUM** converſum, **E-**

MERI-

**EMERICUM** (:4:) Rectorem Academiae Wittebergenſis Magnificentissimum, Supremos Comites plurium Comitatum, Arcium, Szepes, Sâaros, Baimocz, Temetwin, Schinta, Galgocz, &c. Dominos & Toparchas hæreditarios, constantissimos fidei salvificæ Assertores atque Athletas Orbis quondam Pannonici Delicia, Lumina & Columina, Quibus animosè prædicta fuit ab Aulico ipsorum Cõcionatore, (:5:) Defectionis Pœna, Seminis Defectus: **ET**

(:6:) *Hieron. Eventus oïum Vaticiniorum optimus Magister. N.B. Quid de talibus prædictionibus sentiendum, Vid. D. Joh. Fabr. Theol. P. Et Superint. Sæc. in peculiari Tractatu de Visionibus, cum Censura Facult. Theol. Acad. Witteb. Quæ Libertate abuti non debent hodierni Pseudo-Propheta Extremi Judicij. Sed de hoc Argumento brevi fusius mentem meam exponam, scripto peculiari, ad Nobilissimum meum Dn. JOH. KETZERUM de Lipocz. Et c. sollicitum Rerum Theol. Et Myſterior. diſ. Scrutatorem, Ravissimum Seculi nostri DECUS*

Cernimus illorum ex seqviore quidem Sexu Nepotes **THOEKOELIOS**, masculæ tamen Virtutis Hæredes genuinos. Nihil nunc dicam de Illustrissimo Dn. Comite **STEPHANO TOEKOELIO**, BARONIS nostri Fratris carnalis, ejusdemq; Filio unico **EMERICO**, Comitatus Maromaroſſienſis Supremo Comite, ad quorum Encomia deprædicanda, alia se se brevi insinuabit occasio. Unicus impræsentiarum Panegyris nostræ, quam Actui huic Inaugurali brevissimè subnectimus, Scopus est, Illustris DN. DN. **SIGISMUNDUS TOEKOELIUS** L. B. Veritatis Evangelicæ Adsertor & Propugnator constantissimus. Athleta Religionis salvificæ zelosissimus, Cultor veri **DEI** devotissimus, Promotor Literarum & Literarum munificentissimus, Amator Ordinis nostri Ministerialis sincerissimus, Dominus ac Patronus noster gratiosissimus. Sanè solenne hoc est Scripturæ Sacræ, ut dum aliquod egregium facinus commemorat, mox Virtutis Exemplum subjungit I. Reg. XI, 38. Quin & ipse Spiritus S. dum occupatus est in describenda Inauguratione, **TEMPLI SALAMONE** ipsum Dedicatorem **SALOMONEM** Regem maximoperè commendat à Pietate, Precum Devotione, Religiositate, Sapientiâ, Justitiâ, Clementiâ & aliis Virtut. Rege dignis. I. Reg. VIII. Ecquis verò mihi id dabit vitio si in delineatione hujus **ACTVS DEDICATORII**, ipsius quoq; **FVNDATORIS TEMPLI** Munifici, & Patroni

(:4:) *Vid. Dedic. An. thropol. S. B. D. Balthe Meisn.*

(:5:) *R. Dn. Saladino.*

(:6:) *Quid de talibus prædictionibus sentiendum, Vid. D. Joh. Fabr. Theol. P. Et Superint. Sæc. in peculiari Tractatu de Visionibus, cum Censura Facult. Theol. Acad. Witteb. Quæ Libertate abuti non debent hodierni Pseudo-Propheta Extremi Judicij. Sed de hoc Argumento brevi fusius mentem meam exponam, scripto peculiari, ad Nobilissimum meum Dn. JOH. KETZERUM de Lipocz. Et c. sollicitum Rerum Theol. Et Myſterior. diſ. Scrutatorem, Ravissimum Seculi nostri DECUS*

Patroni Magnifici mentionem, uti par est, Veritas exigit, & mea Observantia postulat, honorificam fecero. Scio me ob id a malevolis nonnullis titulum Assentatoris reportaturum. Quid tum? Modò sim innocens & Recti conscius, ridebo falsæ mendacia famæ. Cordati aliter de meo instituto judicabunt. Quidpè nec deceret Christianum hominem, nedum Virum \* Ecclesiasticum esse Sycophantam & Adulatorem. Et quæso, quibus rationibus motus, aut quâ obligatione mancipatus id facerem, & suspicionem hanc contraherem; siquidem mihi TREDECIM OPPIDANO ex Aula Suxæ Magnificentiæ nec seritur nec meretur.

Tantò verò confidentiùs hunc Actum sum aggressus, & in Laudea Tòkòlianas effusior factus, cum & adversæ Fidei homines sciam Probitatis illius Admiratores & Virtutum BARONIS nostri Præcones, vel Invidia Teste ingenuos. Ausim propè adseverare, si adversæ Parti BARO noster addictus fuisset, fortè an jam ob insignem Vitæ Sanctimoniam, inculpatam Pietatis, Charitatis & Modestiae conversationem, accedentibus præsertim externis Bonis operibus aliis, pñis Elcemosynis, Templorum munificâ Structurâ &c. ab Aufonio Præfule, si non vivus, saltem post Fata futurus fuisset canonizatus, Equis verò Torpor, aut quis Livor nostros occupavit animos, quod non sumus & nos idonei atque digni Pietatis Virtutumque Æstimatores. Ego nihil magis in votis haberem, quàm si mihi adhuc pristina flueret vena Poëtica, & nostra Thalia (:parcat DEUS Idolomania Ethnico-Scholasticè!) esset aliquantò excitator, quæ olim, dū Lycea tenerè, IMPERATORES, ELECT. PRINCIP. ac HEROES plurimos cecinit, & nunc in deprædicanda SIGISM. nostri Pietate, vastissimò sese effunderet gurgite, & latice fontis Gorgonei abstrusissimos abundè eliceret. Præstò mihi est equus Bellerophonæus, quem pernibus Alis Coronæ AVREAE & LAVREAE insistentem in INSTIGNIBVS clementissimè tribuit IMP. FERD. III. Sacratissimæ memoriæ. Adjecit LYRAM APOLLINIS & CYGNVM modernus IMP. Invidiosissimus LEOPOL. I. Dominus meus clementissimus. Numquid non putas PEGASVM hunc nostrum ferocientem aut extremum Saxum Ungulâ quatientem, rotos proliciturum esse amnes Aonios, & ex his limpidissimam Heliconis nostri profluituram.

Hippo-

\* THEOLOGICALI nomini mihi nemerè vèdicare nec possim, nec ausim, quod tamè hodiè prolevarios quos-uis Rurales crepare audiam. Ich als ein Theologus. scil.

Επει πολ-λοι καυ-χώνται κατά την σάρκα, κα-γὼ καυχί-σμαι. II. Cor. XI. 18. Fabula & Nugamenta Poëtica. Vid. Nasal. Comæ. Mythol.

Hippocrene? Provocasses Musam olim nostram ad Anagramma- sa? Ast illa semper fuit promissima, etiam ex Nominibus difficillimis. Id quod præ aliis specimenibus (: ablit jactantia dicto :) penè innumeris, ex solis Anagrammatissimis Sacratiss. Cæs. Majest. Anno 1658, à me dedicatis palàm esse potest omnibus & ingenuis quidem Poëtas Æstimatoribus?

LEOPOLDUS } PELLO DUOS.  
                  } PLUS DOLEO.  
                  } EDO PULLOS.  
                  } LUDES POLO.

In Expositione & Expolitione istorum Anagrammatum plurimi me non Poëtam, sed Propheta & Verum Vatem dixere. Nolo adjicere P. Avancini Judicium de his, ne propriarum Laudum dicar EBVCCINATOR. Is enim integras Noctes se impendisse adfirmabat, nec tamen præter hoc unicum elicere poterat LEO PLUS DO, quod visis & lectis meis ipsi sordescere atque vilescere cœpit. At in- quies: Quid nobis Exotica, Longinqua, & præterita recenses? Hic Rhodus! hic salta! En Tibi saltus!

- I. SIGISMUNDUS, Anagr. Pur. SIDUS SIGNUM.  
*Pannonia SIDUS, Virtutis Nobile SIGNUM est*  
*SIGISMUNDUS: ut hoc Littera vorosa docet,*
- II. SIGISMUNDUS. Anagr. Purū MUSIS DIGNVS.  
*Est MUSIS DIGNUS, Laudem Pietate meretur*  
*Iste SIGISMUNDUS, Religionis Honos.*
- III. SIGISMUNDUS (:gs. in x dupl.) SIS DUX MVNI.  
*Enucl. Alcm, Dactyl. Asclep,*  
*SIS DVX & Altor munificâ manu*  
*MVNITO Castrum Chaunicium Lara*  
*TRIADI, SIGISMVNDE. ô sacrate*  
*Et MONADI Benedicte in Alto.*  
*Lubet his adjicere Triplex Anagramma ex Nomine*  
*Illustris & MAGNIFICÆ DOMINÆ.*

SALOME } MAS LEO  
                  } AME SOL  
                  } ESMOLA

C 2

Epigramm

VANITAS  
VANITA-  
TUM &  
Omnia  
VANITAS

Prov.  
Salta per  
Tria  
Hung. Harò  
à Tantz,  
Germ.  
Aus dren  
en Capres  
olen Pan  
mã sehõ ses  
he n ob eis  
ner sprina  
gen Jan

Epigramma ex triplici hoc Anagrammate, ad Eandem *MAGNIFICAM Dn. SALOMEAM POGRANI, &c. ILLUSTR.*

*Dn. Dn. SIGISM. TOEKOELII Conthoralem,*

*Oeconomam Solertissimam:*

*MAS LEO sit prudens non versò Fœmina Sexu.*

*Cant. VI, 9. A ME SOL SALOME TU \* MOLA fertilis ES.*

\* Allusio ex Num. XI, 8. & MOLA ante Portam Castri Chauni-  
kientis extructa fluxuqve subterraneo fl. Hornath; accommodatone  
factâ ad Magnificam Rerum Familiarium Administratricem.

*Ex Nomine Magnificæ Filia: \* Domicellæ*

*SOPHIA omifs. asp. h. O APIS!*

*O APIS es solers, dum fugis pectore flores:*

*Virtutum, & succum corde, SOPHIA, trahis.*

*SOPHIA, omifs, iid. asp. h. SAPIO.*

*Quid SOPHIA est Grajis? Sapiencia dicta Latinis.*

*En SAPIO! ut SOPHIAE Nomen & omen habet.*

*Hæc αὐτοῦ ἑδῖος & qs. aliud agendo deprop.*

Desiderâsles Chronosticha, aut saltem Chronographica? At hæc  
per Lusum quodammodò in copia profluxere.

*siglsMVnDVs. ToekeLy Baro In ChaVnlk.*

*Est Annus fundati Templi exacte.*

Voluisses Acrosticha, Pyramides, Aras, Secures, Coronas, Fides,  
Stellas, Pocula, Trophæa, Vexilla, Cippos, & alia Signa atque Ar-  
tificia Poëtica? Et in his inventionibus Musa nostra à teneris se se  
exercuit: Sed αἰγεργον suit hoc Studium, quod præfens nec Status  
nec Conditio fert, quin & Ætas majoribus & sublimioribus Rebus  
occupata, Vanitates istas longum valere jubet. Adhæc mihi Po-  
etarum Vector inferioris Hungariæ Caballus deest, longè subtiliores  
excitans Spiritus, quos Ceres Scepustica ita condensat atque concras-  
sat, ut Vena CONSPISSATA vix jam stillare ampliùs, nedum fluere  
videatur. Fateor ACTVM hunc Inauguralem Cedro & Marmore  
esse dignissimum. Uinam Venusinus hic sit aliquis Vates, qui æ-  
ternaturæ ejus Famæ monumentum quoddam statuât ærè perennius,  
& Emblemata iacisa perpetim duratura: Ego ex POËTA (: quod in  
hodiernis Lyceis, cursu Studiorum & translocatione ordinariâ soleno-  
ne est.

Prov. XXXI  
II

\*Domici-  
cella.  
fortè recti-  
us, vel Do-  
minella

Domina,  
hinc Dimin.  
Dominula,  
Dominica  
Dominicu-  
la,  
Dominicel-  
la.

ne est) factus sum ORATOR, & metris atque ligaturis verborum  
ampliùs nec exerceor nec delector. Suppleant hunc defectum meum  
alii recentiores & excitatores POËTAE, quos inter. R. Dn. Frater  
meus minor natu CHRISTOPHORVS KLESCH, Pastor Georgio-  
montanus, brevi Pietatem hanc Baronis nostri deprædicavit Elogio  
Poëtico, illudque formâ patenti edidit Hendecastichide, Ego pro rati-  
one Officii mei in commendationem Operis seu Structuræ, & FVN-  
DATORIS, omninò Oratorem seu Panegyrum omnibus numeris su-  
is absolutam conscribere debuissim. & operæ precium sanè fuisset,  
sed varia, quibus ceu δεσμοῖς τυγῆ ἡνῶνς constrictus hætenus fui, ob-  
stidre negocia, adè ut vix hoc αὐτοῦ ἑδῖος. ex tempore & currenti qs.  
calamo deproperare potuerim, & in eo subveritus, ne fortè tædiolâ  
prolixitate Lectori brevitatè avido, præter meam intentionem mole-  
stus sim ACTVS INAUGVRALIS historiam, in gratiam Dn. Ma-  
gnifici, delineare breviter decreveram, & En! in quantas ambages  
sum prolapsus? Numquid verò pigebit aut pudebit me descriptionis istius  
? Nequaquam. Erentm dicendi genus quod attinet, ut ut illud non  
sit Seculo huic eruditissimo itâ exactè conveniens atque aptum, nec  
Sciolis omnibus Zoilisqve, quibus sua tantum placent, arrideat; pu-  
rum tamen est, congruum atque perspicuum; non usqve adè proleta-  
rium, illatum protritumqve illud quidem; sed magis genio terfo  
conforme, & omnium propè accommodatum capivi. Postquam  
enim ante hoc Decennium, & quod excurrit, Scholasticam Professi-  
onem deserui, Solertiam simul illam κριτικὸν ἀνὸν sponè deposui, nec  
ampliùs alto lubet incedere cothurno, aut verbis sesq; ipedalibus uti  
Producta à nobis Musa olim nostra est Ausonia in Scenam publicè  
& Actibus Poëtis, Oratoris atque Comici in THEATRO SEM-  
PRONIANO sepius se præsentavit, nec à Pistore illo i Romano  
unquam est suffusa rubore, SACRAS potissimum tractavi HISTO-  
RIAS, & ad manus esset t SDRAS Propheta & Sacerdos, ultimò lu-  
cubrationum mearum Scholasticarum Anno elaboratus; sed imper-  
fectus, qui argumento suo adprimè quadraret huic Inaugurationi.  
Quod si eundem per officii Sacri Labores ad umbilicam perducere  
potuero feliciter, saxo, ut à Filio meo Christophoro Daniele humili-  
mè dediceret Illustr, Dn. Comiti, Dn. EMERICO TOEKOELY, &c.

Panegyrica  
non tantum  
defunctis  
sed & vivis  
scribuntur  
Herodotus:  
Vid. Dani  
Hans Pa-  
neg. GUST.  
R. Svec.  
dic. in Ap-  
pend. Cõsule  
Lans. Itera  
I. H. Bæcl.  
Paneg.  
CHRISTIN  
REGINÆ  
S&Scc. de-  
dic.  
Si magna  
licet compo-  
nere parvè.

AB

AB

Ci

quem

quem proximè sequenti Anno felicissimo Studiorum profectu, in Athenæo Epperiensi celeberrimo, speramus fore & POETAM & ORATOREM. Hunc DEUS Opt. Max. Sui Honoris, Ecclesiæ verè Evangelicæ emolumento, Patriæ Bono, Parentis Gaudio, Toekoelianæ Familiæ Incremento & nostræ omnium expectationi servet incolumem, & Illustr. quoque Dn. Dn. NICOLAVM Spiritu suo Sancto regat, quò Pietatis atque Virtutum Paternarum premensa vestigia, in Familiæ suæ Decus perennet!

Ita Charitas Christiana, non tantùm precari devotè, sed & sperare nos jubet. 1. Corinth. XIII.

Rem ipsam quod concernit & Laudis Materiam, Illustr. noster est Baro ac Dominus, Dn. SIGISMUNDVS TOEKOELVS de Kelmars &c. Ejus Commendationis me profectò nunquam vel pigebit vel pudebit. Hujus enim colo & veneror PIETATEM, cujus FIDELITATEM S. C. R. qve M. IMP. FERD. III. Sacratissimæ memoriæ, tantissemper æstimavit, ut eundem non tantùm Consiliariis suis & TAB. REG. JUDICIARIE BARONIBUS, sed & PALATINALLIS DIGNATIONIS CANDIDATIS accensuerit. Quantà Gratiâ eum modernus IMP. AUGUSTUS LEOPOLDI. REX NOSTER CLEMENTISSIMUS complectatur, non tantùm AULAE INTIMAE, sed & REGNO TOTI est notissimum. Et quis tam probam tamque fidam & candidam Animi Ingenuitatem odisse posset? Jam Colophonem Scripioni impositurus, ac ad Actum Inauguralem, à quo BARONIS nostri Illustris commendatione digressus sum, postliminiâ redeo, & pro memoria Structuræ atque Dedicacionis TEMPLI CHAUNIKENSIS, ne prorsus nulla metra scripsisse dicar, hoc Tetrastichon, in Honorem Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis, ceu monumentum erigo, & nomine Dn. MAGNIFICI FUNDATORIS in FANO suspendo:

**VNATRIAS, & TRINA MONAS, Sanctissime JOVA!**  
*Sancte PATER, FILI, SPIRITUS alme DEUS.*  
**O TRIN-UNE DEUS! Tibi sit DOMUS ista sacra:**  
**O Sacro-sancta MONAS! O benedicta TRIAS!**

Ne quis

Ne quis me Tautologum esse putet; est hæc Ingeminatio Suspiriorum, ad S. S. TRINITATEM; MONAS & TRIAS vocabula Græca sunt; illud UNITATEM, hoc TRINITATEM notat.

Ad Divum TRIN. AUGUSTÆ VINDELICORUM, à qua Urbe, nostra CONFESSIO AUGUSTANA nomen sortita est, sequens Δωδεκάστιχον inscriptum parieti invenitur, in quo omnia serè Munia Ministerij Evangelici publica comprehenduntur, ex præscripto Verbo DEI. Placet huc adscribere Versus istos pro memoria, ut videant omnes, in nostris Templis Evangelicis, verum genuinum & Religiosum DEO soli exhiberi cultum: frustra quippè mandatis hominum colitur DEUS. Matth. XV, 9. Marc. VII, 7.

<i>Esa. 56, 7.</i>	<i>Hæc Domino cultus peraguntur in Æde suprema:</i>	<i>Luc. XIX, 46.</i>
<i>Hebr. 1, 2.</i>	<i>Autor quos sanxit Filius ipse DEI.</i>	<i>Joh. I, 18.</i>
<i>Zach. XI, 10.</i>	<i>Mortales cuncti feriuntur fulmine Legis.</i>	<i>Esa. II, 20.</i>
<i>Esa. XL, 11.</i>	<i>Vox Evangelij territa corda levat.</i>	<i>Matth. XI, 5, 28.</i>
<i>Eccl. VI, 3.</i>	<i>Solus adoratur Dominus, qui TRINVS &amp; VNVS:</i>	<i>Matth. IV, 10.</i>
<i>Ps. X, 20.</i>	<i>Concinitur grato pectore dulce Melos.</i>	<i>Col. III, 16.</i>
<i>Psal. XCII, 1.</i>	<i>Abluit Infantes Sacri Baptismatis Unda;</i>	<i>Marc. XVI, 15.</i>
<i>Matth. XXII, 19.</i>	<i>Janua Cœlestis clave reclusa patet.</i>	<i>Ioh. XX, 23.</i>
<i>Matth. XI, 18.</i>	<i>Vera datur cum Pane, Mero, Caro, Sanguis JESU</i>	<i>Cor. XI.</i>
<i>Matth. XXVI, 27.</i>	<i>Stips Sacra colligitur, quâ relevetur egens.</i>	<i>Luc. XXII, 20.</i>
<i>Marc. XIV, 23.</i>	<i>Cœpta piis thalami firmantur fœdera dictis:</i>	<i>I. Cor. IX, 1.</i>
<i>1 Cor. XVI, 1, 2.</i>	<i>Hic tutela, DEVS, sis Via, Vita, Salm.</i>	<i>Eph. V, 22. seqs.</i>
<i>Gen. I, 27, 28.</i>		<i>Joh. XIV, 6.</i>
<i>Psal. LXXXI, 1.</i>		

Ex quibus omnibus patet, non clancularios aut promiscuos apud nos agi conventus, sed tanquam inter verè Evangelicos publica haberi templa, & in Sacris his Ædibus verum ac ab omni Superstitione alienum, DEO soli præstari Cultum. 1. juxta Sanctionem Christi, 2. Prædicatione Legis 3. & Evangelij 4. Item Templum nostrum non esse Murmuratoria, sed ORATORIA 5. Svavem in his audiri Musicam Harmoniam Organorum & Vocum, non clamores barbaros & inconditos, ut apud deformatos. 6. Baptizari Infantes & Christianis no iniciandos 7. Esse peccatorum Confessionem peculiarem non auricularem 8. Dispensari Eucharistiam & Communionem non sub una, sed juxta Christi institutionem, sub utraque

utraque

Ministerij  
olim Super,  
intendens  
propter Gre  
gorianum  
Calendarium  
inde pulsus  
Prof.  
Acad. Vist,  
factus,  
Anno 1582.

\* Videbi-  
tur in qui-  
busdam  
in a. p. p. v.  
v. n. d. v. X. n.  
is  
exemplo  
Pauli 17.  
Cor. XI,  
6. J. 17  
\* I. Cori  
III, 16. It.  
VI, 29.  
II. Cor. VI.  
16.

Clemens  
Alexandr.  
dicit du-  
plex esse Te-  
plum: Magnū  
quod Eccles.  
& parvū,  
quod fidelis  
Anima.  
Lib. 7. Strō  
pag. 346.

utraque §. 9: Eleemosynas pias dari & colligi pro pauperibus, juxta  
Praxin Apostolorum, vid. loc. cit. utrobique & Conf. II. Paral.  
XXIV, 6, 9, 111. Est. 11x, 8-11. Maccab xii, 43. §. 10. Copulari  
novos Nuptos ad Altare, & Benedictionem Sacerdotalem iisdem im-  
pertiri §. 11. Votis denique piis & devotis precibus omnes Actio-  
nes Sacras concludi. §. 12, & ultimo.

Abruptens jam Sermonem ad Te verō, Illustris Domine BARO,  
Dn, SIGISMUNDE TOEKOELY, PATRONE gratiosissime,  
& ACTUM hunc Inauguralem præprimis TRINUNI MAJE-  
STATI DIVINÆ, dein TUÆ Spectabili MAGNIFICENTIÆ  
Sacrum esse cupio. Nihil hinc moror Mundum malignum & Cen-  
sores iniquos: dummodò nostra hæc Simplicitas divinæ Bonitati,  
& Tuæ Illustri Ingenuitati placeat. Nihil ampliùs addo; id unum  
saltem monitum ac votum; quò peractis Sacris omnibus Inaugurā-  
libus in Palatio Sermonem meum finii, verbo, quod dicitur, repeto  
& Tuæ Magnificentiae in memoriam revoco. Faxit DEUS, ut ceu  
Sacellum novum Castri Chaunik; ita COR TOEKOELIANUM BARO-  
NIS nostri SIGISMUNDI, sit \* Templum DEO TRINUNI  
Sacrum Pietate, Fide, Constantiā! De quo versiculi noti sunt tri-  
tissimi, quos cum aliis Filius meus coram Illustri Tua Magnificen-  
tia brevi, DEO volente, recitaturus est.

*Spirituale mihi constructum in pectore Templum est,  
Incrustatum AGNI Sanguine ubique DEI.  
Hic PATER, hic GNATVS, simul hic SPIRABILE NU-  
MEN,*

*SANCTA TRIAS sedem gaudet habere suam.  
Parva quidem Domus est, sed in hac habitantibus illis  
Ampla sat, & verè est Regia tota Domus.  
Hanc precor, hanc Sedem, DEVS hoc habitato Sacellum:  
Hancq; tuam labi ne patiare Domum.  
Ita precatur & plura recitaturus precabitur Illustr.  
Magnif. Clientulus Humillim.  
Christophorus Daniel Kleisch. Sempron. Hung.*

